

17 WB 150, Kapsel (67)

DIGNISSIMIS HONORIBUS
VIRI

*Maximè Reverendi, Nobilissimi atq;
Excellentissimi*

DN. HENRICI
ARNOLDI STOCK-
FLETHII

SS. THEOLOGIAE LICENTIATI
LAUDATISSIMI

SERENISSIMI DUCIS
BRANDENB.

SUPERINTENDENTIS GRAVISSIMI
*hospitis quondam civisq; sui
desideratissimi*

BONUM FACTUM

ACCLAMAT


ACADEMIA ALTDORFFINA.



Neustadij ad Aysum excudebat

CHRISTOPHORUS REDELHAMERUS.

3



I,



Hejologam suadam **STOCKFLETHI**
mystica verba

Promentem in Castris, Marchio Celsus
amat;

In Cathedrâ nutritæ Musarum Teccia ean-
dem

Audiit & Phœbus premia digna dedit.

Faustæ acclamationis ergò inter
occupationes scribeb. Alt-
dorffi Noricor.

MAURICIUS HOFFMANN Med. D.
& Prof. Primarius, h. t. Uni-
versitatis Rector.



II,



VOS TITULIS PRIDEM CLARUS STOCKFLE-
THUS IN ORBE

PRÆ MULTIS PARITER PROMERUIT TITU-
LOS,

Coll-

COLLIGE MATER EI DOCTORUM FIDA TUBINGA,
AC INTER BONA DIC OMINA: PROMERUIT!

Perquam Rev. & Excellentiss. Viro
paratissimum declaraturus animum
scrib. Altdorfl

JOHANNES SAUBERTUS, S. Theol. D.
Prof. Primar. & Ecclesiae Antistes.



III.

Inter castrorum strepitus & fulmina belli
Mens meditata Tua est munera sacrificae;
Quae cum fratre suo Caino adduxit Abelus
Ad solennem aram Numinis aetherei.

Siccine STOCKFLETI, tuba Martis dum occupat aures,
Ingenium tenuit Phoebus at omne tuum?

Namq; Tubinga fores, tendenti ad culmen honoris,
Exhibuit, dudum promeriti, patulas.

Plus ultra eloquio dum suavi oracula Christi
disferis, HEROIS gratia TE capiet!

In honorem

Maximè Reverendi DN. Stockfletij,
bono omine plenus
scrib.

JOHANN. MAURICIUS HOFFMANN,
Phil. & Med. D. hujusq; Prof. Publ.

) (2

Non

IV.

Non, STOCKFLETHE, Tuam ad frontem nunc
 serpere frondem,
 miror, & indutâ rutilum caput esse tiarâ:
 Cum Tua Te pridem virtus his reddere dignum
 cœperit, & cuius summo par spiritus ardens
 Theilogiæ summos sanctæ portendere honores.
 Fortior ergò novâ virtute & Numinis hostes,
 pectora plena lupo molli sub vellere, cæde,
 errorumq; fuga, quas Styx vomit atra, phalanges.
 Insuper advigilans, animum pascentis inanes
 doctrinæ siliquas, fermentaq; spumea, facem
 abjectam procul esse jube; sic vera tuendo
 Ambrosius satura succis & nectare mentes:
 Ut Tibi & æthereæ surgant ad tempora laurus.

Gratulabundus scribebat

M. JOH. PAULUS Wettinger, Polit.
 & Log. Prof. Publ. Universit. Altdorf-
 finæ Senior, Facult. Phil. h. t. Decanus,
 & Stipendiar. Noric. Inspect.



V.

PRINCIPIBUS PLACUISSE VIRIS, NON UL-
 TIMA LAUS EST!
 Sunt, his qui placuisse student salibusq; jocisq;
 altis consiliis, prudentis acumine mentis;
 sunt;

sunt, quos commendant hastæ certamina, ludi,
et fremitus spumantis equi, doctiq; Lysippi
sculpturæ celebres, & vera imitamina vultus,
quæ neq; describat Zeuxis, neq; magnus Apelles.
Tu, STOCKFLETHE, places ob mellea flumina lingua,
quâ, velut Hyblæis in montibus edita voces
fundis avis, svadaq; favis oracula Christi
edulcas. Nihil est, nihil est, quod diceris, Orpheu,
agrestes homines sacer, interpretq; deorum,
avertisse ferô cultu, fidibusq; misellam
Eurydicen stygiis quondam rapuisse tenebris!
STOCKFLETHUS verbis implet cœlestibus Aulam
nectare & ambrosiâ tindis, & PRINCIPIS aures
INVICTI mulcet. Tragico cum castra boatu
horrent, cumq; strepunt litui, & furialia cantant
classica, Brennigeno Nestor STOCKFLETHUS Achilli
Sacram interponit citharam, pacemq; precatur.
Hinc laus, gloria, honos, hinc flagrans gratia MAGNI
PRINCIPIS; hinc crescunt tituli, sandiq; corona
DOCTORIS, Charitum sedes quam TECCIA nectit.
Nos, quos ignorare nefas tam grande putâsti
fortuna augmentum, læti gratamur, & omnes
unô ore, unô animô tantis applaudimus ausis.

MAGNUS DANIEL Omeis / Philos.
Moralis & Eloqv. Prof.

X 3

Quan-

VI.

Quantô Te nuper madârît honore Tubinga,
 STOCKFLETHI mihi note diu multumq; colende,
 Noriacis simul ac narravit Fama Camœnis;
 adutum, Vivat, dixi, tam nobile pectus,
 cui DEUS, & PRINCEPS, & Apollo præmia pendunt!
 Æquum hoc & justum est! Faveat Clementia porro
 PRINCIPIS atq; DEI: Vita & Fortuna perennent;
 atq; Tuum nomen Pietas inscribat Olympo!

Nobilissimo, maximè Reverendo & Excell.
 DNO. Doctorand. Amico quondam; nunc
 Fautori singulariter honorando ac dile-
 cto, ex animo gratulatur

GEORGIUS Schütze † Ecclesie & Scholæ
 Altdorffinae Cantor.



VII.

Quem penes est VIRTUS, teretumq; MODESTIA morum,
 cujus & in docto sessitat ARS cerebro,
 hunc comitatur HONOS & plenis gloria velis,
 Gloria in æternos non peritura dies.
 Et VIRTUTE nites, claresq; MODESTIA & ARTE
 STOCKFLETH Theologia gloria, noster amor;
 sic ut sponte suâ fructus VIRTUTIS & ARTIS
 insinuare TIBI GLORIA se cupiat.

Firmus

*Firmus in hoc stadio & studio VIRTUTIS & Artis
Consiste & coeptam perge viare viam:
atq; oculare Tui signum spectabis HONORIS
cum laurum sacram Theiosophia dabit.*

*Ita plurimum Reverendi, Amplissimi &
Excellentissimi Domini sui Fautoris
summis in Theologia honoribus ap-
plaudit*

STEPHANUS STÖR.



VIII.

I NVIA VIRTUTI NULLA EST VIA. Cernite Docti!
STOCKFLETHUS redâ tendit ad astra viâ.
Non hæc consuetis naturæ viribus audet;
Nititur auspicio Consilioq; Dei.
Nempè Dei motu generosos excitat artus,
Ac, ubi non potuit desidiosus, ovat.
En! quod sacrati conscendit culmen honoris,
Quem Princeps, populus, fama, cathedra dedit?
Hæc ante exiguos orbis num credidit annos,
cum misero STOCKFLETH viveret exilio?
Non! sed desertum desperatumq; putavit,
Quem fidus nescit deseruisse Deus.
Gratulor: ingentes Deus addat honoribus annos;
Nestoreos STOCKFLETH vivat in in orbe dies.

Gau-

Gaudeo, (maturâ sublatô morte Parente)
Hoc jam contigerit quod mihi Patre frui.
Hic erit alborum mihi Dux Authoꝝ dierum,
Et, puto, perficiet, quod benè cœpit, Opus:
Sic Patri benè, dum nobis. Magnum annue Numen!
Annuit: haud me jam Somnus & error habet.

Humillimæ observantiæ, atq; intimi affectus
significandi causâ scr.

WILHELMUS CONRADUS Hedenus,
Stipend. Brandenburg.



17 WB 150, Kapsel 16

DIGNISSIMIS HONORIBUS
VIRI

*Maximè Reverendi, Nobilissimi atq;
Excellentissimi*

DN. HENRICI
ARNOLDI STOCK-
FLETHII

SS. THEOLOGIAE LICENTIATI
LAUDATISSIMI

SERENISSIMI DUCIS
BRANDENB.

SUPERINTENDENTIS GRAVISSIMI
*hospitis quondam civisq; sui
desideratissimi*

BONUM FACTUM

ACCLAMAT
ACADEMIA ALTDORFFINA.



Neustadij ad Aysum excudebat
CHRISTOPHORUS REDELHAMERUS.

